

- 21 inferius monebo. Sic per se neque servitus est hoc Jus, licet in modum Servitutis possit competere. *V. infra.*
- 22 (II.) Dixi, *habendi Furnum*, voce habendi cum effectu accepta quatenus Jus hoc non in aptitudine consistit, sed in facultate exercendi & fruendi. Et deinceps generaliter dixi *habendi*, ut sic complectar furnos, quos in suo, quisque Dominii & libertatis naturalis nomine habet; & quibus in alieno quoque in modum servitutis utitur aliquis. (III.)
- 23 Dixi, *quæstus vel utilitatis gratia*; ut comprehendam furnos tum Mercenarios, tum bannarios, tum alios quosvis, quos in suo quisque ad suam & suorum sustentationem habet.
- 24 Hujus autem Quæstus & Utilitatis hic immediatum subjectum requiro, unde patet cur non dixerim esse jus exercendi furnum, quoniam etiam alieno nomine quis furnum potest exercere, ut Pistoris Mediastinus aut servus; nomine Pupilli & Minoris Tutor & Curator, ad quem tamen ex quæstu nihil pervenit, sed primo pro operis locatis aliunde satisfit; nisi societate ita iniverint, ut operas alter, alter furnum præstet, *arg. l. 29. §. 1. ff. pro Socio.* quo casu ac quæstus quoque inter ipsos communis erit. *l. 29. pr. & l. 63. §. 5. d. t.*
- 25 Circa divisionem non multum laborandum ducimus; ut enim *furnos in Universitatis & singulorum*; sive *publicos & privatos, bannarios & eos, ad quos ex mera voluntate itur vel non itur, Mercenarios, & quibus ex familiaritate vel aliis gratis utimur, servientes & liberos*, dividimus, sic Jus circa illos quoque dividi & applicari hisce membris potest. Quod si præter prædictas species fortè à ratione structuræ, aut usus, locive in portatiles & fixos, aliterque dividi possent, ea tamen divisio nullum effectum in Jure producit; nisi quod prius dubitationem injicere queat; An furni ad res mobiles an immobiles pertineant? Quod licet otiosum

otiosum